



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||  
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

ceterarum : ceteræ ad arma concurrentes, obsessis oppem tulere. Tum quoque nonnulli ex his, salua libertate solita, principibus Austria ad protectionem se commendauere : non vt dominis parituri, sed vt protecto-ribus vicissim obsequuturi : qua res diu permansit ad tempora nostra. Albertus dux Luneburgensis, per ea tempora sensit militares qui in Horneborg arce palustris Bremensis diœcesis, ad confinia terra Luneburgensis demorantur, quæstum facere vel menstruum, vel annuum, de terra memorata : Et cum finem non facerent, duxit in eos, cogitque, vt sponderent in reliquum se a quo iustoque per omnia parituros. Quia in re & fidem verbis habuit, & per modestiã nihil vltra tum putabat extorquendum.

## CAPVT IIII.

Ventzlau Bohemia rex, iam patre viuente & plurimum annitente, rex quoque Romanorum creatus, cepit vtrunque regnum sine magna sollicitudine administrare : Nec enim annisus est Imperij coronam accipere, quam etiam in reliquum non promeruit, vir animo non satis ad Imperium idoneo : qui, vt ferunt, ventri deditus, omnia posthabuit. Aliquantoque melius actum esset cum Imperio, si neque pater, neque filius in eo fuissent. Nam pater largitionibus, vt filium extolleret : filius ignauis dissimulationibus, Imperium attriuere, inq̃<sup>3</sup> eam tenuitatem, qua nunc cernitur, adduxere : Augustos se amant interpretari, quasi augendo instantes Imperio : sed longè ab hac interpretatione patris largitio, & filij ignaua dissimulatio. Eius enim incuria cepit in regno Bohemia illa Christianismi crueta diuisio : cum Bohemi per audaciã Romana ecclesia obedientiã retraxere. Sed ea in scandalia explicatius. Per ea quoq̃<sup>3</sup> tēpora, nè qd

Xy 4 vsquam

vsquam latum esset aut prosperum in Romana sede, illa per vniuersam serpens ecclesiam surrexit schismatica dimembratio, cum se duo pro summis gererent pontificibus. Alter Romae creatus Urbanus, alter à cardinalibus Gallis Gallus euectus Clemens: iam enim Itali, veriti, nè si ex Gallis crearetur pontifex, in Auinionem rediret: idq; cauentes Romani proceres, conclauē obsederunt, per impressionem & concussionem moliti, vt Italus crearetur Urbanus VI. episcopus antè Barenfis, vir acris seueritatis. Hanc ergò electionem cardinales Galli ab Auinione pridem introducti, cum & persona electa propter sauiitiam, & forma electionis propter concussionem displiceret: simul, vt haberent pontificem, sub quo eorum natio vt pridem imperitaret, foras Romam euecti in ciuitatem Fundanam, Clementem suum extulerunt, cum eo in Auinionem contendentes. Bicipitem dudum aquilam Romani Imperatores in armis sibi praeulerunt & praefereunt vsque hodiè: quanuis dudum Orientis Imperium euauerit, à Christianismo translatum in perfidos Mahumetanos: Nunc bicipitem insulam incipiunt adorare Romani pontifices. Sed non est ea iocandi materia, quae pessimum Christianismo inuexit schisma. Nos pro instituto nostro in Saxoniam reuertamur.

## CAPVT V.

**A**lbertus interim Luneburgensis, princeps optimi ad iustitiam zeli, vocatis ad arma auxiliaria ciuibus vrbiū Magdeburgi & Brunswici, arcem Twifeling receptatricem sceleratorum hominum, qui itineribus publicis insidiantes, eo conuexere, quae varijs locis quasiere, obsedit, & expugnauit: captamq; funditus euersam, solo aquauit. Circa quae tēpora ciues Brunswicenses,